

1
2
3
3
4
5
6
7
8



1662.

1. ^{a, b, c} Born, Jacobus: De jure in re actiones
reales proferentes. 3 Sept. 1662: 1704
2. Eckolt, Amosius: De tutela materna
3. Eichler, Johannes Christianus: De retractu vicinitatis
- 3^a ^{*} Eichlerus, Johannes Christianus: Novus honores Joha-
nis Christiani Eichleri . . . gratulatur omni con-
teranei
4. Eichler, J. Christianus: De foeminarum imperio.
5. Fellerus, Trachimundus: De tribus coronis Imperatoris
Germanica, Lombardica atque Romana.
6. Franckenstein, Christianus Fridicus: De consilio
- 7^a ^b Kuchlerus, Georgius Gustavus: Jus sepulchri.
2 Sept. 1662: 1702.
8. Noricus, Johannes Suresius: Brevis commentatio et l. 25
finis 15 § Julianus 16 ff de damno infecto.

166³

9. Romanus, Franciscus : Analysis l. quinque pedum 5
C. fin. reg. 18
10. Romanus, Paulus Franciscus : De alic. 19
11. Romanus, Paulus Franciscus : De salvo conductu 20
12. Schacher, Christophorus Hartmannus : Defensor iudi- 21
cialis
13. Schacherus, Anonymus : De probationibus presentibus 22
judicialibus.
14. Schacher, Anonymus : Repetitio princ. l. consilii
non fraudulentis nulla obligatio etc. 47 16. De regal-
jus. 1.
15. Schreinden Jaerfferus, Bartholomaeus Leonhardus : 3.
De incesto 4.
16. Schreinden Jaerfferus, Bartholomaeus Leonhardus : 5.
De traditione 6.
17. Schreinden Jaerfferus, Bartholomaeus Leonhardus : Quercio 7
latrones acas. et IV libros Institutionum Imperatoriarum

1662.

18 Schreindorfferus, Bartholomaeus Leonhardt

De citatione

19. Schreindorfferus, Bartholomaeus Leonhardt:

De oratione

20 Thilo, Isaacus: De temperamento

21. Thomasius, Jacobus: De scabiis antiquis, aevi medici

et recentioribus.

22 Waltherus, Philippus Knepler: De emptione vendi-

tione

1663

1. Eckelt, Amatus: De culpa.

2 Eckelt, Amatus: De concursu actionum

3. Norius, Johannes Ernestus: De defensione necessaria

4. Norius, Johannes Ernestus: De reformatione

5 Romanus, Petrus Franciscus: De iudice

6. Ryssel, Johann Jacobus, a: De arbitro compromissorio

7. Schreindorfferus, Barth. Leonhardt: De emphyteusi

1663.

8. Schneidendorffer, Bartholomaeus Leonardus
De pignore.

9. Schneidendorffer, Bartholomaeus Leonardus
De vera juris in re divisione. 4 Buefl.

10. Schneidendorffer, Georgius Tobias: Perisigilium
medicorum anatomicum jure divinis humanis licentiam
demonstrans. 2 Buefl.

12. Schneidendorffer, Georgius Tobias: Themata juris
controversi, ex jure et civili et canonico de promptis

8778.

I. N. J. 1662, 16 33

DISPUTATIO IURIDICA

DE

TRADITIONE

QUAM

CONSENSU ATQUE SUFFRAGIO
Magnifici & Amplissimi Icto-

rum Ordinis

In

Almâ Universitate Lipsiensi

SVB PRAESIDIO

VIRI

NOBILISS. CONSULTISS. EXCELLENTISS.

DN. BARTHOLOMÆI LEONHARDI
SCHWENDENDORFFERI

J. U. D. & Instit. P. P. Celeberrimi, Patroni ac Prae-
ceptoris sui honoris & observantiae cultu deve-
nerandi,

Publicae disquisitioni subicit

MICHAEL FINGERVS NAUMBURGENSIS

ad d. 9. Maji. 1662.

In Acroaterio Ictorum.

Literis Wittigavianis.



V I R O

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ET CONSULTISSIMO

DN. TOBIÆ MOEBIO JCTO

CELEBERRIMO, INCLYTÆ FACULTA-
tis Jurid: in Academia Lipsiensi

Assessori Gravissimo, Curiaē Supremæ Provin-

cialis Elect: & Ducalis, Nec non Con-

Consistorii Ecclesiastici ibid:

Advocato Ordinario.

DN. Patrono suo magno,

Nec non

Susceptoris Patris instar maxime devenerando atque

Hospiti suo honorando

*hasce in legali scientia primitias
in debita gratitudinis tesseram*

dicat

A. & R.

Σὺν Θεῷ !



Um, qui nunquam in arenam dissertatio-
num descendere secum constituerit, nihil eruditionis
veritatisq; reportaturum; plurimum enim adjumen-
ti ad veram juris cognitionem consequendam conferre
disputationes, haut ullus inficias ibit. Ideo operæ pretium factu-
rum me arbitratus sum, si materiam de Traditione, omisso ejus pro-
lixiore encomio; (Ipsa enim se ostendit, nec ullâ commendatione
propter frequentiam suam forensam ac utilitatem eget) pro ingenii
tenuitate, licet haud, prout dignitas atque utilitas ejus efflagitet, per-
tractare, ac enodare annitar, veritatisque theatrum ingrediar. Quùm
autem difficile sit, ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata
principio, *c. Principatus. 25. caus. 1. quest. 1.* Iccirco DEUM ter
Opt. ter Max. (cujus auspicio ad omnia consilia omnesque actus rectè
semper progredimur, *l. 2. pr. Cod. de off. Praef. Prat. Afric.* Bene enim
& competenter universa geruntur, si cujusque rei principium fiat de-
cens & amabile DEO. *N. 6. pr.*) supplex adoro, ut huic proposito exitu
felicem largiatur, atque omnia ad sui gloriam dirigat !

THESIS I.

Jure Gent. multi acquirendi modi sunt introducti, quorum nume-
ro etiam gaudet Traditio, quæ propter insignem utilitatem ad o-
mnes contractus, præsertim quibus rerum dominia transferri solent,
perficiendos & confirmandos pertinet. Non enim solis contra-
ctibus acquiritur dominium, sed præparantur saltem, & velut vestiun-
tur, ut dicitur, traditione, quâ dominium transfertur & acquiritur.
l. traditionibus 20. C. de pact. l. traditio, 20. ff. de A. R. D. Henr. Schil-
bock. *ad §. per traditionem 41. T. de R. D.* Casp. Aldenac. *ad d. S. Lo-*
cam, adeund. §. lit. a. TH. 2.

Sumitur autem vox traditionis primò nonnunquam pro actu per
se nudo, nec sufficienti ad dominii translationem, sed tantùm ad
corpora danda, & ex unius manu ad aliam mutanda, uti tradit depo-
nens, commodans &c. nec non quando dominus ministro suo pe-
cuniam tradit, ut aliquid emat; sive, quando aliquis rem suam sibi
ab alio restitui stipulatur. Quo in significato traditio dicitur, quòd
sit datio possessionis, nò verò proprietatis, *l. si rem tradi, 28. ff. de V. O.*

A 2

Dein-

Deinde propriè & convenienter huic nostro proposito accipitur pro actu habente causam & voluntatem domini transferentis rem eo animo in alium, ut ipsi eam habere & tenere liceat, ita ut hoc sensu traditio intelligatur, quæ possessionem producit, & rursus possessio dominium. *l. traditio 20. ff. de A. R. D. l. traditionibus 20. C. de pact.* Cujac. *lib. 11. obs. cap. 19.* Greg. Tholos. *Syatag. jur. l. 20. cap. 10. n. 1. seqq.* Bach. *add. §. 41. n. 2. §. de R. D.*

TH. 3.

Definitur traditio à Theophilo, quòd sit de manu in manum translatio, teste Cujac. *d. l.* quæ quidem definitio traditioni propriè dictæ, quæ est rerum mobilium, tantum convenit. Sutholt. *dissert. 4. Inst. aphor. 32.* At sanè verior est definitio aliorum, quòd traditio sit actus, quo ex ratione naturali Dominus rei suæ dominium in accipientem, accedente justâ causâ transfert *d. §. 41. §. de R. D.*

TH. 4.

Hinc dividitur ea in veram & quasi. Vera est rei corporalis præsentis in alium præsentem translatio, quæ ipso actu & corpore, *l. 1. §. 1. & §. si jusserim. 21. ff. de acquir. possess.* Si res sit mobilis, tunc de manu tradentis in manum personæ accipientis, & quidem non semper personæ certæ, verùm etiam quandoque incertæ transfertur per jactum missilium in vulgus, *§. hoc amplius 46. J. de R. D.* Olim enim Romæ Prætores & consules divitiis abundantes, variarum rerum donaria, maximè tamen nummos argenteos, (non aureos,) & quidem minutiores, liberalitatis gratiâ, in publicis solemnitatibus ad auram popularem captandam dispergere solebant, quod postea ab Imp. Martiano prohibitum fuit. *l. 2. C. de Coss. & non sparg. ab his. lib. 12. t. 3.* Verùm Justinianus (*N. 105. pr. & cap. 2. §. 1.*) iterum spargendi facultatem volentibus Consulibus certâ moderatione permisit: sicut & hodie in solemnibus & nova inauguratione Imperatoris, Papæ, & Regum fieri solet. Schneidew. *add. §. 46. n. 1.* Gothofr. *add. l. 2. lit. e.* Quo casu projicientis voluntas tamen certa est, ut illud, quod quisque apprehendit, fiat accipientis, *d. §. 46. & l. qua ratione. §. hoc amplius. 7. ff. de A. R. D.*

TH. 5.

Sin immobilis, tunc accipienti traditur inducendo in possessionem ædium, & fundi, *l. possideri, 3. §. 1. ff. de acq. poss.* Nec opus est, ut vo-

ut volens domum possidere per omnes ejus angulos ducatur, sed sufficit, quamlibet partem ipsius ingredi; nec non in fundo tradendo, saltem quandam partem ejus introire, *d. l. 3. §. 1.* quia possidetur totum, cum particula possidetur. Goth. *add. l. 3. §. 1. lit. x.*

TH. 6.

ET hoc procedit quidem jure Comm. non autem jure Sax. ubi traditio privatim facta non transfert rei dominium, nisi renunciatio sive abdicatio domini fiat à tradente coram judicio, Gloss. *lat. lit. a. Landr lib. 1. art. 34. & lib. 2. art. 30.* ac Gloss. *germ. n. 6. 7. lib. 3. art. 4. Weichb. art. 20. vers. er soll kommen ic.* Decis. *Elect. 61. Zobel. p. 2. diff. Sax. 28. n. fin.* Omissa enim illa, emptor non nisi nudam detentionem nanciscitur, pleno dominio penes dominum manente. Moller. *ad Const. Elect. 23. p. 2. n. 16.* ibique *Reinh. Rosa. Berl. p. 1. Concl. 64. n. 52. Dn. Carpz. p. 1. C. 28. D. 21. n. 4. & p. 2. C. 31. D. 13. n. 4. seqq. & lib. 5. Resp. 41. n. 4.*

TH. 7.

Quasi traditio, *l. qui saxum 6. ff. de donat.* (quæ & ficta dicitur, quòd interpretatione ac autoritate juris reperta ac introducta sit; Cujac. *lib. 4. obs. 3. Hotom. illustr. quest. 12.* nec non imaginaria, Ludvv. *com. 7. ad §. item si, 45. de R. D.* à Baldo [*cap. 1. de causa poss. & propr.*] artificialis vocatur. Donellus autem *lib. 4. com. cap. 18.* hanc appellat minus propriam, ac veram nominat propriam.) est rei tam corporalis quàm incorporalis translatio, quæ fit magis affectu quàm corpore; & præcipuè tribus expeditur modis; 1. patientiâ. 2. Symbolo aliquo consueto. 3. monstratione.

TH. 8.

1. Patientiâ tam in rebus corporalibus, quàm incorporalibus dominium transfertur. In illis, quando quis rem suam ex justo titulo, nim. locati, depositi, commodati &c. existentem apud aliquem postea eandem rem ex aliâ idoneâ causâ, veluti emptionis, donationis, dotis &c. tanquam propriam habere patitur. *§. interdum 44. §. de R. D. l. sive autem, 9. §. 1. ff. de Publ. in rem act. l. qua ratione 9. §. interdum, 5. ff. de A. R. D. l. 1. §. si jufferim, 21. ff. de acq. poss. l. certi, 9. §. fin. cum l. seq. l. singularia, 15. ff. de R. C.* unde si quis alicui saxum eximere de suo permiserit, statim lapis exemptus ex causa donationis quasi illi traditus acquiritur, *d. l. 6. ff. de donat. l. licet, 43. §. 1. ff. de jur. dot.* Cujac. *lib. 4. obs. 3.* Quamvis tradens ex ea causa acquirenti eam rem non tradiderit; eo ipso tamen, quòd patitur ejus esse, statim illi acquiritur proprietas: perinde ac si eo nomine

A 3

si tra-

ei tradita fuisset. *d. §. 44.* Et hoc casu res tanquam brevī manu tradita intelligitur: quia res ex prioribus titulis concessa, ex posterioribus rursus tradita fingitur. **TH. 9.**

In rebus incorporalibus requiritur ex parte domini, ut dominium patientiā transferat: quæ in his loco traditionis habetur, *l. fin. ff. de servit. cū ea per se tradi nequeant.* Sicut enim & ipsæ quasi possideri, sic & quasi tradi censentur. Ex parte acquirentis requiritur, ut usus accedat, *l. si ego. 11. §. 1. ff. de Publ. in rem act. l. omnium. 3. pr. ff. de usufr. ibique Goth. lit. l. Goth. ad l. servus. 43. §. 1. ff. de A. R. D. lit. m. Fachin. lib. 8. controu. cap. 20.* Is enim tradidisse servitutem videtur, qui patitur aliquem ire, agere, uti, frui; quia patientia consensum & rati habitionem inducit. *Dn. Carpz. p. 1. C. 17. D. 42. n. 8.*

TH. 10.

II. **S**ymbolo acquiritur res, quando per alterius rei apprehensionem ipsa comprehensa fingitur: quod intervenit vel à parte tradentis vel à parte acquirentis: Ab illa parte, si quis alteri claves vel instrumenta tradit. Clavibus enim traditis, res ipsæ in horreo vel cellâ vinariâ traditæ intelliguntur, *§. item si, 45. J. de R. D. l. 1. §. si iusserim. 21. ff. de acq. poss. d. l. 9. §. item si, 6. ff. de A. R. D. l. clavibus 74. ff. de contrah. empte.* Si modò justa aliqua domini transferendi causa præcesserit, & traditio clavium apud horreum vel in conspectu horrei aut cellæ facta sit; licet merces, aut frumentum, aut vinum oculis & sensibus haut subjiciantur; tamen clavium traditio imago quædam rei traditionis videtur, *d. l. 74. de contrah. empte. Hotom. illust. quest. 12.* Secus si alibi horreum aut cella sit, ejus vel rerum in ea depositarum possessio, & per hanc dominium, antè quàm corporalis apprehensio fuerit facta, non acquiritur, *l. possideri. 3. §. Neratius. 3. ff. de acq. poss. Locam. ad d. §. 45. 7. de R. D. lit. a.* Verùm si causa tradendi non fuerit alienatori accomodata, non præsumuntur claves ob rem aliam, quàm custodiam traditæ, *l. cū pater. 77. §. pater potest. 21. ff. de leg. 2. Schtelb. comm. ad §. interdum. 44. J. de R. D.* Instrumentis traditis, i. e. documentis literariis, (quæ domini autoritatem testantur, cuius gratiâ illa sunt data,) statim res ipsa tradita censetur, *l. C. de donat. l. servum. 44. §. eum. 5. ff. de leg. 1.*

TH. 11.

Nostris moribus ad possessionem ædificii tradendam talis in iudicio requiritur accessus, ut ex ædium januâ, columnâ, aut parte quapiam festuca (ein Spahn oder Splitter aus der Thür ic.) præcidatur, aut ostii corona seu cantharus (der Thüerring/oder Thürklopffel) manibus

nibus accepturi inferatur: vel ut ex fundo saltem terræ gleba aut ee-
spes decerptus manibus acquisituri tradatur.

TH. 12.

A Parte acquirentis intervenit aut trabium emptarum signatio,
aut custodis appositio: Illa fit, quando emptor venditore ju-
bente trabes aliquot vel alias res emptas, ab aliarum trabium seu re-
rum numero segregat, illisque sigillum imprimit, quo modo traditæ
intelliguntur, *l. quod si, 14. in fin. ff. de per. & com. rei vend.* Hæc fit,
si acquirens ei rei, quæ haud facile loco moveri potest propter magni-
tudinem, custodem apponat, cujus custodiæ res subjiciuntur, & con-
festim ei traditæ videntur, *l. quarundam, 51. ff. de acq. poss. Donell. lib.*
4. comm. c. 18.

TH. 13.

III. Monstracione transfertur res de excelsa ostensa: puta, si quis
fundum oculis accepturi ex alto loco subjicit, ut solo is aspe-
ctu possessionem nanciscatur, *l. 1. §. pen. l. quod meo, 18. §. 2. ff. de*
acq. poss. l. certum, 6. ff. de R. C. l. pecuniam, 79. ff. de solut. Et hoc ca-
su res, quia ex longinquo fit loco, fictione longæ manus tradita
dicitur.

TH. 14.

Causa efficiens est vel propinqua vel remota. Illa dicitur ani-
mus sive voluntas tam à parte tradentis, quam à parte acquiren-
tis. Goth. *ad l. 1. §. 1. lit. f. ff. de acq. poss.* A parte illius requiritur 1.
ut sit rei dominus, aut à rei domino ejus transferendæ potesta-
tem habeat; quia nihil interest, utrum ipse dominus tradat alicui rem
suam, an voluntate ejus procurator. Quod enim quis per alium fa-
cit, ipse facere videtur, *arg. l. item apud, 15. pr. ff. de injur. l. ita autem,*
5. §. quod si, 3. ff. de admin. & per. tut. l. 1. §. de jecisse, 12. ff. de vi & vi
arm. c. qui facit, 72. de R. J. in 6. Dn. Carpz. p. 1. C. 1. D. 22. n. 2.

TH. 15.

Requiritur autem, ut procurator aut speciale mandatum, *l. pro-*
curator totorum, 63. ff. de procur. l. procuratorem, 16. C. eod. arg.
l. jusjurandum, 17. §. fin. ff. de jurejur. aut liberam universorum ne-
gotiorum administrationem sibi concreditam atque demantatam
habeat, §. nihil autem, 43. J. de R. D. d. l. 9. §. nihil, 4. ff. de A. R. D.
l. procurator eui, 58. ff. de procur.

TH. 16.

Dd. vulgò distinguunt inter procuratorem, cui simpliciter man-
data est rerum administratio, & eum, cui libera administratio
omnium bonorum data est, ut hic alienare possit, ille non item. Quam
divi-

divisionem tanquam juri nostro incognitam alii suis suffulti rationibus oppugnant. Donell. l. 4. comm. c. 15. Vinn. lib. 1. quest. 9. Joh. à Sand. ad l. id quod. 11. ff. de R. 7. Locam. add. §. 43. & quest. Just. 156. qui tamen in jure Can. eam reperiri fatetur, per c. qui ad agendum. 4. de procur. in 6. Verùm alii hanc distinctionem non eo temerèdam esse asserunt. Goth. in not. add. l. 9. §. 4. lit. p. ff. de A. R. D. Pac. cent. 2. enant. qua. 47. & in anal. Inst. ad d. §. 43. Bach. ad eund. §. Ludw. comm. Inst. ibid. & disp. 4. §. 10. lit. b. quibus & nos assentimus.

TH. 17.

II. Requiritur, ut velit rem in alterum transferre. Sicut enim nihil tam conveniens est naturali æquitati, quàm voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi, d. §. 41. 7. de R. D. d. l. 9. §. hæ quoque res. ff. de A. R. D. ita quoque nihil traditum dici debet, nisi quod dominus voluit: quippe cum quisque suæ rei moderator sit & arbiter, l. in re, 21. C. mandat. Velle autem is videtur, qui non solum rem in alterum cupit, sed & qui potest transferre. Nemo enim plus juris, quàm ipse habet in alium transfert. l. nemo plus 54. ff. de R. 7.

TH. 18.

Hinc excludimus eos, qui vi, arg. l. 4. pr. ff. de stat. hom. aut jure, aut testamento, aut conventionem prohibentur. l. fin C. de reb. al. non alien. veluti pupillum vel minorem, qui sine tutoris sive curatoris auctoritate nec ullam rem alienare valet, §. nunc admonendi, fin. 7. quib. al. lic. vel non. Nec non ipsum tutorem aut curatorem, qui quoque res immobiles, ut prædia suburbana, vel rustica; ut & mobiles quæ servando servari possunt, sine decreto magistratus, citra justam necessitatem alienare vel supponere nequit. rubr. C. de pred. & al. reb. min. non al. l. 1. §. 2. ff. de reb. eor. qui sub tut. vel cur. l. lex qua, 22. in fin. C. de admin. tut.

TH. 19.

Porrò excludimus maritum, qui prædium dotale inæstimatò sibi datum, invitâ muliere alienare prohibetur. §. 1. 7. quib. alien. lic. vel non. l. dotale, 13. §. 1. ff. de fund. dotal.

TH. 20.

Ut & prodigum ac furiosum, quibus propter nimiam rerum suarum profusionem bonis interdicitur. l. Julianus 10. pr. l. pen. §. 1. ff. de curat. fur. l. 15. cui, 6. ff. de V. O. sed eis constituitur curator, §. furiosi, 3. 7. de curat. l. 1. pr. l. sepe, 13. ff. de curat. fur.

TH. 21.

Ulterius excludimus quoque eos, qui in re tradenda errant. l. si pr-

procurator meus. 35. ff. de A. R. D. Nam in totum omnia, quæ animi destinatione agenda sunt, non nisi verâ & certâ scientiâ perfici possunt. *l. in totum, 76. ff. de R. 7.* nec videntur, qui errant, consentire, *l. nihil consensui, 1. 6. §. fin. eod.* Siquidem nihil magis contrarium est consensui, quàm error, *l. si per, 15. ff. de jurisd.* Unde istos nihil agere, nec dominium ab iis recedere, manifestum est. Verùm non intelligimus generaliter omnes qui errent in re qualibet, sed eos, qui errent in ea re, de qua transferenda agitur: utputà, qui errat in re sua, sive in dominio rei suæ, & hanc non ut suam, sed ut alienam tradit, ille errat in ipsa alienatione rei, de qua nunc agitur. Idcirco hic error ut voluntatem transferendi, sic & translationem rectâ impedit, *d. l. 35. ff. de A. R. D. Donell. l. 4. com. C. 16.* TH. 22.

AT in aliis rebus, si erret & nihilominus rem suam sciens velit transferre, alienabit: ut accidit in indebito soluto, hic in re sua non errat, sed in causa debendi, qui error alienationi non obstat: unde soluti vindicatio illi non datur, sed tantùm condictio, *l. dominus, 53. ff. de condict. indeb. Donell. d. l.* TH. 23.

AParte acquirentis generaliter requiritur: primùm ut consentiat in rem ipsam, ut sua fiat, per *l. in omnibus, 55. ff. de O. & A.* Sine consensu enim nihil potest ad effectum perducì, quod inchoatur. Sicut dominium ab invito non recedit, ita nec quicquam invito acquiritur, *l. invito, 69. ff. de R. 7. Donell. lib. 4. comm. c. 18.* Deinde ut rem traditam apprehendat, quia nihil rectè traditum dicitur, nisi quod est acceptum, & quidem animo & corpore. Omnis enim possessio & per hanc dominium non solo animo, nec etiam solo corpore, verùm utroque simul acquiritur, *d. l. 3. §. 1. 3. 6. l. quemadmodum, 8. l. cum heredes 23. pr. l. qui universas, 30. §. quod per columnum, 5. l. quod jure, 41. ff. de acq. poss. l. licet, 4. C. eod. l. ferè 153. ff. de R. J. §. possidere, 5. 7. de interd. Bronch. cent. 3. assert. 93. Fachin. lib. 8. controu. c. 19.* quùm animus propositum, voluntatem, credulitatem, & persuasionem possidendi certam significat: corpus verò actum aliquem naturalem seu insensum incurrentem denotat. Bronch. *d. l.* TH. 24.

UNde qui animum ad acquirendam possessionem afferre nequit, i. e. si hoc affectu non sit, ut rem non modò detinere, sed etiam suo subjectam fieri dominio cupiat, is nihil agit: putà infans & furiosus per se sine auctoritate tutoris & curatoris nihil acquirere valet, *l. quamvis, 32. §. fin. l. 1. §. 3. ff. de acq. poss. Pac. cent. 6. quest. 94.* TH. 25.

Hinc etiam qui errat in acquisitione, nihil accipit; quia error omnes contractus invalidos reddit: quod accidit, quando contrahentium voluntates in diversas discedunt partes, ut hic aliud sentiat, quàm ille, & tunc

B

non

non possunt videri in alterutro horum consentire. Consensus enim non est unius tantum voluntas, sed duorum pluriumve simul in idem placitum, l. 1. §. 2. ff. de pact. Error igitur, quemadmodum non tradit dominium; ita nec acquirit illud.

TH. 26.

Verum non quilibet intelligitur error, sed tantum in corpore commissus: ut puta, si tam tradens quam accipiens in corpore rei traditæ dissenserint: quum verò in illud ambo consentient, atque hoc animo erunt, ille ut transferat dominium, hic ut dominus fiat, perpetuò transfertur dominium, tametsi in nomine ac causâ dandi atque accipiendi dissenserint: quum error corporis tantum, nec nominis vel causæ acquisitionem possessionis impedit. l. si me, 34. ff. de acq. poss. l. in venditionibus. 9. pr. §. 1. ff. de contrah. empt. l. 2. §. cum Stichum. 6. ff. pro empt. l. cum in 36. ff. de A. R. D. l. hominem. 3. ff. pro suo. Vultej com. ad §. per tradit. 41. §. de R. D. n. 7. Bocer. class. 4. disp. 7. §. 21.

TH. 27.

Porro acquirimus etiam animo nostro, corpore ac animo alieno, putà, per procuratorem, si ei nomine nostro non suo restradatur, & quidem à domino, l. 1. §. per procuratorem 20. ff. de acq. poss. Is enim propter mandatum susceptum nobis possidere volentibus, possessionem & per hanc dominium acquirit. §. ex his. 5. J. per quas pers. cuique acqu. l. per procuratorem. 8. C. de acq. & ret. poss. l. traditio. 20. §. fin. ff. de A. R. D. l. solutum. 11. §. per liberam. 6. ff. de pign. act. l. 1. C. per quas pers. nob. acq. Dn. Hann. ad Wesemb. par. ff. de A. R. D. n. 11. Si verò absit mandatum & aliquis nostro nomine ingressus sit possessionem, non aliter nobis acquirit eam, quam si ratam habuerimus. l. communis. 42. §. 1. ff. de acq. poss. Paul. lib. 5. sent. tit. 2. §. 2. Bronch. cent. 3. ass. 91. Bicc. aur. sect. 3. §. 162. lit. LL.

TH. 28.

Specialiter requiritur in emptione: ut emptor venditori pro re vendita & tradita pretium solvat, aut alio modo ei satisfaciatur, putà fidejussore, expromissore, constitutore, pignore &c. dato, l. si rem 9. §. 3. ff. de pign. act. Berl. p. 1. Concl. 64. n. 49. Horum nec ullo interveniente, non transfertur rei vendita dominium, licet traditio mox subsequuta fuerit, §. vendita. 42. §. de R. D. l. procuratoris. 5. §. pen. ff. de tribut. act. l. quod vendidi. 19. l. ut res. 53. ff. de contrah. empt. l. Paulus. 38. §. 2. ff. de lib. caus. Est enim voluntas tradentis non simpliciter pura, verum tacite conditionalis; ut ita demum rei traditæ dominium in emptorem transeat, si is pretium solverit, aut aliàs satis fecerit: qua conditione deficiente, merito & traditionis effectus deficiet. Locam. ad d. §. 42.

TH. 29.

Hinc emtio & venditio ante traditionem factam plenè perfecta dici nequit, d. §. 42. l. un. C. de suffrag. c. cum Johannes. 10. X. de fide instrum. primùm,

primū quia verba venditionis cum effectu sint accipienda: Deinde quia conditionales venditiones tum perficiuntur, cum impleta fuerit conditio, *l. hęc venditio, 7. ibique Gloss. lit. k. l. si quis. 37. ff. de contrah. empt. l. necessario. 8. ff. de per. & com. rei vend. ibique Gloss. lit. c.* Venditor enim eā lege tradere videtur, ut sibi de pretio satisfiat, quū id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri nequit. *l. id quod. 11. ff. de R. J.* Unde nisi satisfactum fuerit venditori, dominium ab emptore acquiri nequit, maximē eam ob causam, quia unum ex substantialibus emptionis, pretium sc. desideratur. *pr. in fin. §. 1. seq. 7. de empt. & vend.* Ergo conditione venditionis deficiente, deficit & venditio. *Schielb. comm. ad §. 42. 7. de R. D.* Pretio autem soluto, statim vera traditio intelligitur, à qua demum ultimam perfectionem emptio & venditio accipit. *Moller. p. 2. Const. El. 32. Berl. p. 2. Concl. 40. n. 34. 35. Th. 30.*

SI verò venditor emptoris fidem secutus fuerit, statim res fit emptoris, *d. §. 42. 7. de R. D. d. l. 19. ff. de contrah. empt.* quia fidem sequi, est quasi satis accipere, & eidem in creditum dare, quod, ut in facto consistens, præsumi non debet, *l. si ve. 16. C. de probat. Rennem. membr. 2. disp. 10. §. 7. lit. e.* Intelligitur autem fidem emptoris sequi, cum venditor emptori protestanti: se pecuniam non habere ad manum, rem venditam expressis verbis auferre permittat, respondens: licet pecuniam non habeas, tamen rem accipe, & tibi habe, ac quando commodè solvere potueris, pretium exsolve, *arg. l. 1. ff. de R. C. Donell, l. 4. comm. C. 16. in fin. Rennem. d. l. Th. 31.*

SI autem venditor rem simpliciter emptori tradat, nullā mentione pretii mox solvendi factā, tradendo rei venditæ, dominium non transfert, sed nudam rei detentionem, unde meritò eam vindicare poterit, & per consequens omnibus aliis creditoribus præferatur, *l. si ventri, 24. §. 2. ff. de reb. auct. jud. poss. Donell, d. l. Gail. lib. 2. obs. 15. n. 4. Rennem. d. l. Bach. ad d. §. 42. Ludw. comm. ad eund. §. n. 2. Th. 32.*

PORRò non transfertur rei venditæ ac traditæ dominiū in emptorem dolum, licet fides de pretio sit habita, quia dolus causam habendæ fidei dedit, & sic per fallaciam ablata censetur. *l. 3. ff. de pign. act. quo casu venditor omnibus creditoribus præfertur. Gail. d. l. n. 8. seqq. Berl. p. 1. Concl. 64. n. 58. Rauchb. p. 1. quest. 6. n. 9. Dn. Carpz. p. 1. C. 28. D. 18.* Hinc nil obstat, quin venditor prius merces ab emptore dolo alienatas, etiā à tertio possessore vindicare possit, quū dolus emptoris impedit domini translationem. *Dn. Carpz. d. p. 1. C. 28. D. 19. Th. 33.*

CAUSA efficiens remota est ido neus seu justus titulus, qui & causa dicitur, *l. nunquam. 31. ff. de A. R. D.* & est ille, qui rei dominium, non autem qui ejus usum, vel custodiam, vel cautionem transfert; ut puta, mutuum, venditio.

ditio, dos, donatio, permutatio, solutio &c. Non idonei habentur illi; Deposita, quo res custodiae causa traditur. Pignus, quo cautionis causa res datur. Locatio, precarium, commodatum, quibus res usus gratia transfertur. Donell. lib. 4. comm. c. 16. Est autem iusta causa vel ONEROSA, vel LUCRATIVA: HAEC est, quae merum lucrum affert, sine onere aliquid invicem praestandi, puta, donatio, dos, legatum. ILLA est, ex qua rem acquirens aliquid invicem rependit, ut emptio, venditio, permutatio &c. Pac. lib. 6. def. 140. seq.

Th. 34.

MATERIA est res, de qua fit conventio, & alienari non prohibita. OLIM res NEC MANCIPITRADITIONE tantum alienari poterant: Ulp. tit. de domin. & vocabantur praedia provincialia, d. §. 41. f. de R. D. camelis, & elephantibus, quia bestiarum numero habentur, Ulp. d. l. MANCIPITRRES erant praedia Italica, tam rustica, quam urbana: servitutes rusticae, servi & quadrupedes, quae dorso colloque domantur, ac usucapi poterant. HODIE vero omnes res, sublata earum differentia, tradi & usucapi possunt, d. §. 41. & l. un. C. de usucap. transf. Hinc emancipatio olim erat alienatio, quae certis verbis fiebat, libripende, & quinque testibus praesentibus, Ulp. d. l.

Th. 35.

FORMA TRADITIONIS in eo consistit, ut rei corporalis iusta & vacua possessio transferatur & apprehendatur. Hotom. illust. quest. 11. Hunn. lib. 2. resol. tr. 1. quest. 39. quia nisi prius res alia possessione sit vacua, ab alio, cui traditur, possideri nequit. Locam. quest. Just. 155. Bicc. aur. sect. 3. d. 160. Dicitur enim vacua possessio, quae a nemine detinetur, vel possidetur. Bart. citante Schneidevino, ad §. actionum. 28. & de act. ex empto. n. 23. f. de act. Joh. à Sand. ad d. l. 11. ff. de R. J. p. m. 71. Et possessio non intelligitur tradi, nisi iusta, neque iusta nisi vacua, & non occupata, certa ac non litigiosa, perpetua ac non temporaria, l. si pater. 8. C. de act. empt. & vend. l. 1. §. 1. l. 3. pr. §. 1. ff. eod. l. cum res. 12. C. de probat. Unde is demum videtur rem tradere, qui ejus possessionem vacuam & iustam transfert, ut apprehendens eam retinere, nec ei auferri possit. l. non videtur. 22. ff. de acq. poss. l. 4. §. tunc in. 12. ff. de usurpat. Illa enim iusta possessio est, quae avelli non potest. Igitur qui haud vacuam rei possessionem adeptus est, dominio ejus non gaudet, d. l. 8. C. de act. empt. & consequenter nec rei vindicatione experiri valet. l. qui praedium. 13. C. de distr. pign. Hotom. d. quest. 11. Joh. à San. d. l. Ludvv. disp. Inst. 4. d. 10. lit. a. Schneidev. d. l. Mynf. cent. 1. obs. 53.

Th. 36.


FINIS TRADITIONIS est commodum & emolumentum rei, quae ab altero nostrae potestati subijcitur, & in bonis esse incipit, ut ea uti, frui, deque ea pro libitu disponere possimus. Goth. ad d. l. 1. §. 1. lit. f. ff. de acq. poss. Hotom. d. quest. 11. Restat ejusdem EFFECTUS, qui est translatio & acquisitio domini: quod est jus de re corporali perfecte disponendi, nisi lex obstet. Goth. ad d. l. 20. C. de pact. Hinc sunt acquirendi domini duae species, NATURALIS sc. & CIVILIS. ILLA transfert dominium traditione: HAEC non statim directum dominium, sed duntaxat conditionem s. causam usucapiendi, vel utile dominium praebet. ILLA fit à domino ex iusta causa: HAEC fit à non domino. Glos. ad d. l. 20. pr. lit. o. ff. de acquir. rer. dom. Glos. ad d. l. 20. pr. lit. β. C. de pact. Igitur tale dominium transfertur, quale fuit apud eum, qui tradidit, d. l. traditio. 20. §. 1. ff. de A. R. D. veluti si quis dominium in fundo habuit, id tradendo transfert: sin non habuit, ad eum, qui adeptus est, nihil transfert. d. l. 20. pr.

Plura quidem fuissent, quae huic materiae TRADITIONIS addi & potuissent, & debuissent, verum ne haec dissertatiuncula contra instituti rationem in TRACTATUM excresecat, haec pro ingenii imbecillitate delineasse sufficiant.

SUMMO GLORIA SUMMA DEO!

✻ FINIS ✻


ULB Halle 3
003 070 840



TA-OL

1017







J. 1662, 16 33
IURIDICA

202

TIONE

QUE SUFFRAGIO
nplissimi ICto-

tate Lipsiensi

RESIDIO
S. EXCELLENTISS.
EI LEONHARDI

DORFFERI
eberrimi, Patroni ac Præ-

NAUMBURGENSIS

vi. 1662.

ctorum.

gavianis.

